

30

VERISIMILIA  
*De*  
STELLIS NOVIS,  
PROSPERANTE JEHOVA  
SIDERUM CONDITORE,

*In*  
illustris ad Albitum Academiæ  
AUDITORIO MINORI,  
DIE XII. DECEMBER.  
HOR. POMERID.  
ANNI ÆRAE DIONYS. M. DC. XCI.

Ostendunt ac defendunt

M. CHRISTOPHORUS JACOBUS


Gächtler /  
OSSITIO - MISNICUS,  
Sereniss. ac Potentiss. Elect. Sax. Alumnus,

&

GODOFREDUS GÜNZIUS,  
Haynensis - Misn.



VITEMBERGAE,  
Literis VIDUÆ MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



PRÆFAMEN.

**D**RUDENTISIMUM omniqve laude  
superius illud Apostoli i. Cor. 10. v. 31. effa-  
stum, qvo nostras actiones omnes ac sin-  
gulas ad Dei gloriam dirigendas esse mo-  
net. Qvam gnomen tanti æstimavit ille  
Doctor Ecclesiæ, qvi ab aureo ore, qvod  
etiam post mortem loqvutum Causinus in ideâ s. Chrysost.,  
p. 800. fingit, inditum nomen, ut eam παθοληπὸν καὶ κάλι-  
τον ὄγον vocare nullus dubitarit. (Chrysost. Hom. 25. in i. Cor.  
10. pag. 542.) Studia nostra qvid aliud intendunt, nisi ut glo-  
riæ Dei fiat illustrior? Nescio tamen qvo fato Physica disci-  
plina hoc sibi peculiare qvæsi vindicet, ut ea bonitatis  
atqve potentia divinæ laudem semper & ubiqve ostendat.  
Hæc est, qvæ ad n̄ r̄ b̄z ἀργαν Rom. 1. 20 per hanc rerum  
naturalium scalam dedit fidelis Hodegus. Cœlum stelliſ  
exornatisimum qyemqve idcirco hominem ad sui con-  
templationem invitat. Hinc Ovidius lib. 1. Metam. v. 84.

Pronag, cum spectent animalia cetera terram,

Os homini sublime dedit, cœlumq; tueri

Jus sit & erectos ad sidera tollere vultus,

Sursum, sursum itaqve aspiciamus, cœliqve incolas tanto à  
nobis distantes intervallo, tam stupenda radiantes luce,  
tam pulchro ac vario eoqve non inordinato. incedentes  
motu obseruemus, & maxima Dei potentia, qvæ ordinavit  
istæ omnia, statim se ostendit. Stellas fecit mundi Creator  
tot miraculis, qvot radiis plena. Ita vero nos sumus com-  
positi, ut qvamdiu occurrent solita, magnitudinem rerum  
consuetudo subducat. At cum aliquid ex more mutatum  
est, omnium vultus in æthereâ regione sunt. Qvoties novæ

in nostrum progrediuntur stellæ conspectum, totus ferè terrarum orbis rapitur in admirationem. Harum considerationem pleniorē cum meditamur, veniam à B. L. rogamus, qvod in re tām diffīcili, tām arduā, & vix ac ne vix qvidem cuidam mortalium perscrutabili certi qvippiam determinare non valeamus, sed ea, qvæ verisimilia nobis videntur maximē, sectemur. Eò audaciæ non progredimur, ut hisce triumphum illum Mathematicum Q. E. D. subne&tamus. Nec præsumtuoso aut temerario nos iudicio aliquis credat, qvi planè ac indubitanter differamus, meliora afferenti semper apud nos locus relinqvetur. Hæc ipsa materia adeò est intricata, ut cūivis summo ingenio facere negotium queat, qvid mirum ergo, si nos tenuitatis nostræ consciū id, qvod humanum est, patimur. Ferrariensis ille Mathematicus, Ricciolius, at, qvātus vir! non veretur scribere de stellis novis: *Frustra in his aut laborat, aut ludit mortalium imbecillitas, cum incerta sit distantia & sedes horum ostentuum, qvorum etiam originem & naturam i-gnotam nobis esse Deus voluit.* : Tom. I. Almag. Nov. Lib. VIII. Sect. 2. cap. 16. n. 4. P. II. p. 173. Idemq. l.c. cap. 18. n. 5. p. 178. pergit: Nec in naturæ visceribus perscrutanda, qvæ tanta novitate ordinem naturæ transcendunt, sed suspiciendus, qvi est supra naturam Deus, qris forte quadam opera reservavit in hunc finem, ut in ordine tām nature qvam gratia compelleremur ad utriusqve Autorem supremum agnoscendum, reverendum & adorandum. Deterruissent certè talia nos ab instituto, nisi industria celorum ingeniorum observatio- nes hic institutæ tulissent suppetias. Major namqve in his ætatis nostræ felicitas præ illa. Gigantum igitur humeris insidenti Pygmæo ampliorem qvis prohibet prospectum? Ecquisnam in seqviore rapiet partem, si nostra animi sensa, utut adhuc crudiora proponamus? Qapropter ad pera- genda B. C. D. progredi non veremur.

Con-

§. I.

**C**onsiderationis nostræ objectum cum asseruimus novas stellas, bonæ methodi requirunt leges, ut quid per eas intelligendum veniat, ante edifferamus paucis, qvam quod sint, demonstremus. *Stellas autem novas nos hac vice dicimus, qvæ in fixarum stellarum sede varias luminis partitunt mutationes, dum auge scente ac de cresente earum magnitudine propter ascensum ac descensum modo apparent, modo dis parent.* Ita enim descriptionem aliqualem à subiecto, Forma accidentalí & causa desumptam, non prout vniimus, sed ut potuimus, hic loci exhibemus inferius explicandam.

§. II. Stellas dari in cœlo, qvæ e jusmodi habent phænomena, virorum in cœlis versatissimorum demonstrant observationes, qvibus fidem suam denegare nullus debet. Sedecim enumerat Ricciolius Lib. 8. A. N. l. c. cap. 1. p. 130. è qvibus aliquas etiam cum ipso repudiamus. Celebriores certioresqve sunt, qvas in Cassiopeâ, Serpentario, Andromedâ, Cero, Cygni pectore, observatas usqve ad annum 1651, quo editus, memorat, qvibus & eam qvæ in Cygni videtur capite, adjicimus.

§. III. Celeberrima lucisqve splendore superans omnes ea fuit, qvæ in Cassiopeâ sidere anti 1572. mense Novembri ad usqve eundem mensem anni 1574. fulsit. Tycho Braheus luce clarissimam se eam reperiisse scribit, alibi tamen (*in Prog. p. 304.*) aurigas, tabellarios & nautas prius, qvam homines eruditos hanc stellam in cœlo advertisse atque aliis notificasse fatetur. Magis veritati qvocirca consentaneum esse videtur, si eam non secus ac alias lucis habuisse incrementa, qvum & splendore sensim sensimqve iterum fuisse diminutam, asseramus. Celebris evidem Vir quidam hanc è Novarum eximit classe, stellamqve novam καὶ ἔξοχην sic dictam appellat, eò qvod spes eodem iterum

loco spectandæ ejus nulla porro videatur, in P. C. pag. 172.  
Tanti tamen viri pace dictum esto, si forsitan hæc eadem est,  
quæ in eadem apparuit constellatione anno 1264. Quid si  
conjecturis etiam locus quid repugnat, quo minus & eam  
ab Hipparcho (vid. Plin. lib. 2. c. 26. H. N.) visam ob splen-  
dorem nimium & Periodicam revolutionem, eadem esse  
suscipiemur? Si ponamus enim, eam Per. Jul. 4590, anno s.  
ante Christum natum 123. (Ricciol. ponit 125. p. 131. n. 3.) pa-  
tuisse ad videndum, calculo ducto, eadem suam peragrat  
viam 154. annorum spatio, ut apparentiæ ejus tempora præ-  
ter alios non observatos fuerit annus 1264. & 1572. ac denuo  
anno Chr. 1726. posteris, si qui erunt, sese conspiciendam  
præbebit. Obstat his Calvisius, aliique eum sequuti, qui  
Hipparchi ætatem in Annum Mundi 3665. P. J. 4428. ante  
Chr. Nat. 283. rejiciunt. in Chronol. P. 2. p. 247. Magis au-  
tem sentimus cum Petavio ac Vossio, quorum hic in descri-  
entiis Mathem. libro c. 33. §. 4. p. 158. ille verò P. 2. de Doctrin-  
â Temporum ad annum Per. Jul. 4552, Hipparchi ætatem  
ex Ptolemaeo & Suida ponunt in Per. Jul. 4580.

§. IV. Nova alia in dextro Ophiuchi calcaneo se osten-  
dit anno 1604, in mensē autem, nedum in diem primæ  
apparitionis non convenientiunt omnes. Durationis quoque  
terminus nec minus incertus. Id quidem extra controver-  
siam, anno subsequentे disparuisse eam, quo verò mense  
nemo determinare hucusque ausus est. Nunc enim nubes,  
nunc præsentia Lunæ, nunc Solis quoque fulgor inhibue-  
runt, ne conspicua fuerit facta. Nihil ergo est, quod de eâ  
possimus asserre, quin omnia incerta atque adhuc manent.

§. V. Alia quoque mense August. an. 1596. in collo certi-  
fita accesit cominus, eamque revertentem Joh. Phocilides  
Holyvarda, anno 1638, aliisque temporibus alii intuiti sunt.  
Hujus periodum 333 dierum & phasim maximam 15 dierum  
esse

esse primus qvī annotavit, fuit Ismael Bullialdus. Hujus leges etiam ista, qvæ Hevelius illi ustris in Epistolis, qvas Mercator in Astron. Append. p. 273. profert & in Anno Climacterico ad Augustum anni 1683. docet, approbat. Nec dissident Dnn. Bouilland & Cassini observationes, qvas Allain Menasson Mallet in Cosmographia p. m. 50. citat. Recentior alius, Godofr. Kirchius, cuius in perscrutandis sideribus solertia notior qvā ut hic laudetur, in eandem abit sententiam. vid. Lips. Act. Erud. Mens. Dec. An. M DC LXXXVIII. pag. 670.

§. VI. Huc referre placet, qvam Anno 1612. in Andromeda cingulo Simon Marius, cum telescopio Jovis qværeret satellites, aliiqve Astronomi contemplati sunt. Ismael Bullialdus refert, qvod de novo circa 1665. anni initium fuerit conspecta ab Astronomis, cum illius anni Cometam indagarent. Ipse qvoqve sē illam circa 1666. anni exitum & seqventis 1667. principium suis oculis lustrasse testatur. Et cum eam modo tenuis, mox fortioris deprehenderit lumenis, exinde eam necessariō emergere per vices & abscondi rursus colligit. Hoc insimul memoratu hic dignum, qvod ex MSto qvodam tenebris fermē sepulto ante annos 150. visam eandem ab experto anonymoqve Astronomo repetita memoria exponit. vid. Mercat. l. c.

§. VII. Qvæ in Cygni pectore varias splendoris patitut mutationes, à Jansonio, Keplero, Hevelio aliisqve sēpius visa fuit. Parisiensium Diarium 1671. Jun. 22. memorat, bis istam emicuisse ab initio seculi & absconditam fuisse bis, at qvanta sit revolutionis ejus periodus, nondum certò constare, nisi qvod extra dubium sit, eam non breviori, qvam 14. annorum curriculo absolvi. conf. Mercat. l. c. p. 272. Ex Hevelio autem, qvi eam anno 1671. & 1681. prodidisse memorat, colligere licebit, eam minorem adiūc requirere periodum; qvæ vero sit certa, non liquet.

§. VIII. Novissimam, qvæ in Cygni capite variatione afful-

affulxit constanti, Hevelius Dantisci, & Monachus quidam Carthusianus, Anshelmus, (*in Mercat. Anthelius legitur virtus forsan Typographi*) atque Casini Parisiis observarunt. Mercatoris calculus, quo 10. mensibus reviviscere extenbris computat, propter observationum requisitarum deficitum non adeo congruus est, nisi judicio fallor, ac ille Dn. Kirchii, qui 13. mensibus revolutionem suam absolvere asserit, *conf. Mercat. l.c. Mallet. l.c. Act. Lips. Erud. l.c. p. 670.*

§. IX. Præter has in cœlo adhuc plures quandoque coruscare negari nequit, cum ipsi de Urania immortaliter meriti viri optimè sibi hâc in re constent. Sic inter Eridanum & Leporem unam, binas in Eridani fonte, tres in Cassiopeâ, quatuor prope Polum Arcticum Dn. Cassini alias que conspexisse recenset *Mallet. l.c. p. 50. & 51.* Hujus generis, meo arbitrio, sunt & illæ, quæ Tychoni qvondam ac Bayero descriptæ hodie ab oculatisimis inspectoribus, Hevelio cumprimis, desiderantur. Nostro ævo qvinque, qvarum loca Tycho dimensus, in cœli orbibus frustra qværi monet illustris *Hevelius in Prodr. Astron. cap. 8.* licet Ricciol. illas in suum Catalogum tanquam à se conspectas retulerit. Præter has unam in Ursæ minoris dorso, aliam in majoris collo, aliam in Eridani flexura sub Balanæ collo, in Piscibus aliam deesse scribit *Mallet. p. 49.*

§. X. Ex istis observationibus haud altius in earum cognitionem ascendere datur, quam qvod primum per exilitatem aut evanescientiam quandoque parallaxium cœlestia certò deprehendantur corpora; deinde qvod sedem habent fixam, qvippe qvæ immotæ inter fixas apparent; porrò qvod pedentim luminis splendore crescant ac decrescant; denique qvod temporis periodum & restitutionem observent ac metiantur. Hæc signa quasi manifestiora sunt, ex qvibus, qvicqvid proferimus, conjectamus. In istiusmodi enim rebus Aristotelis consilium atque consensum imitamur,

tamur, qvi lib. 1. Metab. c. 7. inquit: Ea quæ occulta sunt sensu*sui*, ratione satis demonstrata esse dicimus, si ea adid, quod fieri potest revocaverimus.

S. XI. Definitionis autem explanationem ante qvam a grediamur, non inutile putamus esse, si qvo nomine alijs venire soleant, annotamus. Non solliciti interea erimus de nominibus, curam hanc Grammaticis aut Lexicis relinquentes; qvæ verò errorem possit gignere diversa vocum acceptio, in descriptionis resolutione deducetur. Sic invenies, qvi modo extraordinarias vocant, qvas antea dixerant novas: invenies etiam, qvibus perinde esse videtur, qvando Cometas appellant. Neutrū recte convenire putamus, cum illud etiam pluribus extra ordinem consuetum qvæ fiunt in cœlo posit accommodari, & nos illas ex ordinario motu ipsis competente deducimus: hoc verò in multis discrepat ab illis. Cometae siqvidem omnes aut caudâ, aut barbâ, aut crinibus reperiuntur ornati (plures qvidem species enumerat Plin. lib. 2. cap. 25. H. N.) qvibus omnibus de stiuntur Stellæ. Cometae deinde in cœlo huc illuc errantes tam varios decurrunt tramites, ut vix tot vortices in mundo Planetario possit imaginari, qvot iis gyrandis sufficiant. Situm variant ac distantiam mutant à fixis, qvam tamen constanter servant hæ, nec alio, nisi eo, qvi primus dicitur, ac communis motu feruntur. Accedit qvod cometæ suam mutuo sumant lumen à Sole, ac propterea non scintillant, qvod in his secus se habere multarū noctium experientia edocet. Recordamur hic aliquujus afferentis, Cometas aliquando simplices apparere absqve omni comâ vel barba, qvando scilicet solis radios recipere nequeunt, ac tum stellas esse novas. Certissimè vero persuasi sumus, id demum in oppositione Veneris & Solis futurum, qvum Solis radiis nihil clausum aut occultum in toto cœlo esse solo excepto Zodiaco, ubi aliquando Planetarum corpora opaca radios solares reflectunt, omnibus constat. Qvod si cui vero ea sententia, qvâ Epigenes, Seneca lib. 7. cap. 6. teste, duo statuit

genera Cometarum, qvorum alii ardorem undiq; fundunt, nec ss  
locum mutant; alii in unam partem ignem vagum in modum  
comae porrigit & stellas permeant, si, inquam, ea sententia  
arrideat, falsa eam niti hypothesi, qvæ cometas defendit subla-  
nares, sciat.

§. XII. Subjectum ipsarum ab accuratiōribus unanimi  
ferè consensu Astronomis fixarum constituitur sedes, qvod ex  
parallaxeos defectu arguunt. Ex loci itaque conditione sejun-  
guntur ab ea stella nova, qvæ Christi adventus nuncia Magis  
singulari Dei beneficio illuxit in oriente, Salvatorisq; hospit-  
ium determinatē designavit. Matth. 2. v. 9. Id qod sane fieri  
non potuissest, nisi in aēream deducamus regionem, cum ne  
Luna qvidem proximè à terrā distans aliquam urbem, nedum  
domum nobis certò commonstrare posuit. Fuisse hanc novam  
divinitus extraordinem nature ac miraculo formata mitata-  
men, ut fuerit ens supernaturale qvoad modum, si non qvoad  
substantiam, veriorem communiorēq; sententiam esse scribit Ric-  
ciol. qvi pluribus de eā Tom. 1. Lib. 8. Sect. 2. c. 19. & 20. à p. 179.  
ad 193. edisserit. Novæ qvoque differunt in hoc à Planetis, qvi  
à Sole acceptum lumen ad nos reflectentes diversas lucis pha-  
ses ostentant. Forum qvoque satellites excludimus hinc, qvo-  
rum qvinque Saturnum ex observationibus Dnn. Hugenii &  
Cassini (vid. Act. Lips. Erud. Ann. LXXXVIII, Mens. Maj.  
p. 272.) qvatuor Jovis corpus ex Galilæo aliisq; Lynceis Astro-  
nomis circumire novimus. Nova tametsi phænomena ac ante  
paucos innotuerint annos, attamen stellas novas hoc loco  
nuncupare non sustinemus.

§. XIII. Formam accidentalem earum ponimus in eo,  
qvod varias patiuntur luminis mutationes, dum augescente ac  
decrecente earum magnitudine modo apparent, modo dispa-  
rent. Id enim ex nocturnis indefessisq; constat eorum vigilis,  
qvi dedere stellis operam, variasq; phases observitatis orbi  
communicaverunt. His ante oculos positis nullum est dubium,  
qvin

qvin eas dissimiles esse earum, qvæ aliis in plaga Australi lumi-  
nis sui plenum ostendunt jubar, ac nobis ob perpetuam occul-  
tationem novæ dicuntur, qvilibet cernat. Id qvoqve causa est,  
cur nec huc illa debeant reduci sidera, qvæ è sporadicis in no-  
vas redactas figuræ novæ audiunt stellæ, qvod nec in ullâ fixa-  
rum Canonica dispositione, nec in ullo arte facto globo antea  
extiterunt. Omisisis hac vice iis asterismis, in qvos informes  
coëgit stellas quasdam Hevelius in *Prodr. Afron. c. 8.* notatu  
dignissimos censemus Enses Electorales Saxonicos à Dn. Kir-  
chio confessos, qvorum stellæ perpetuâ radiantes luce literis  
characteristicis JOHAN GEORG insignitæ, perpetuam qvo-  
que Heroum Saxoniarum gloriæ haud vano ominè pollicentur.  
*vid. Actor. Lips. Erudit. Ann. LXXXIV. Mens. Aug. pag. 396.*

*Malum Imperiale ac Sceptrum Brandenburgicum*  
felici conamine idem Kirchius cœlo inseruit. *Actor. Erud. Ann.*  
*LXXXVIII. Mens. Aug. p. 452.* Talia incrementa & decrementa  
lucis qyum & illæ renuant, qvæ oculos inermes fugientes ob fe-  
licem tuborum inventionem videntur novæ, à nostris sponte  
sua recedunt.

§. XIV. Ade a nunc accingimus nos, in qvibus ipsum dif-  
ficle cum incerto certasse videtur. In Causam inquirere est  
animus, qvousqve licebit pervenire, atqve si non datur ultra  
subsistendum. Qvæ dum pro exiguis, qvas agnoscimus, ingenii  
yiribus conamur, ita hic versari volumus, ut suscepta materia  
ad ea principia, qvæ nos qvoqve in naturâ maximè verisimilia  
esse arbitramur, dirigatur ac decidatur. Veniam interim nobis  
imperrandam esse videmus ab ipsis, qui alias à nostrâ dissiden-  
tes fovent opiniones, qvarum tot sunt, qyot de hac dignissima  
scripsierunt materia Autores. Qvocirca ut modestia nostra in  
dissensu hoc appareat, discrepantium nomina non adducimus.  
Qui eos nosse desiderat, is *Ricciolum l. c. Longomontanum in*  
*Appendice Astronom. Danica, Bartholinum de stellis, Cartesium,*  
*Claubergium, Sturmium celeberrimum, aliosq; qvi ibi citantur,*

adeat. Qvam nos fovermus sententiam , priusqvam de aliorum  
placitis judicemus , exponere nunc est animus.

S. XV. Caussam diximus ascensum & descensum , non  
eum intelligentes , qvi ortus & occasus qvoqve audit Astrono-  
micus , sed qvi ab hoc diversus atq; distinctus est. Ad phæno-  
mena itaqve dicta demonstranda jam supponimus , qvod proba-  
bitur inferius , corpora earum esse æterna (non qvidem care-  
tia principio & fine , sed cum mundo simul producta & cum eo-  
dem iterum interitura ) adeoqve ex naturæ necessitate atqve  
motu intrinseco jam in nostrum prodire conspectum , jam in  
profundum iterum coelum restitui. Nec hic nobis contradic-  
imus , dum stellas novas corpora antiquis coœva statuimus , qvip-  
pe novæ , ut novus orbis , aut novus hospes appellantur. Præ-  
ter ea postulamus , ut nobis concedatur , tām immensæ regio-  
nem ætheream esse profunditatis , ut corpora illa libere sur-  
sum deorsum moveri queant. His suppositis cursu suo eas Ellip-  
psin acutissimam describere , cujuſ latera non propè à se distent ,  
cum nobis linea videatur esse recta , secundum qvam hic motus  
absolvatur.

S. XVI. Hæc sententia veritati non absimilis videtur at-  
que facilitate reliqvorum superat , dum Physicos inexplicabili-  
bus difficultatibus ac impedimentis , qvibus se macerant in ma-  
teriæ finisqve explicatione liberat simul & exuit. Qvod crescant  
istæ usqve ad maximam phasin ac deinde sensim sensimqve  
minuantur , usqve dum prius nudum mox etiam armatum ef-  
fugiunt oculum , rursusqve prius ab hoc qvam illo observantur ,  
nostrum effatum satis probare videtur. Qvoties enim stella  
ascendit ac removetur , visionis angulus fit acutior atqve sic in  
minorî conspicitur quantitate , donec propter summam tenui-  
tatem , qvam facit remota , oculo prorsus dispareat , qvia lineæ  
tunc non amplius angulum usqve ad oculum protrahunt , sed  
concurrentes unam describunt. Qvod si verò nobis fiat propin-  
gvior , angulus ille non adeo est acutus atqve propterea Objec-  
tum

ctum visibile majus apparebit. Qvæ enim sub angulo majori vi-  
dentur, apparent majora, qvæ sub minori, minora. Axioma  
hoc opticum vid. ap. Schott. in Curs. Mathem. Lib. XIX. cap. 4.  
p. 468. hyp. 5. Certo ac determinato qvum reducuntur tempo-  
re, caussam adesse aliquam naturalem ac ordinariam, qvæ per  
se constans ac immutabilis sit, arguit. Nullam verò aliam præ-  
ter eam, qvam dedimus, æqvæ facilem atqve perspicuam depre-  
hendimus. Hujus sententia plures alii sunt viri clari, ut Gemma,  
Blancanus, Gassendus, Regius, aliig. Anonymi qvæ ex Ephem. Gall.  
I Anni 1667. citantur Sturmio in Phys. Concil. p. 163. qvorum au-  
toritatis possemus allegare, si tantum aliorum placitis atqve  
assertis velimus inniti.

§. XVII. Maximum verò, qvod huic sententiæ obstat, vi-  
detur esse illud, qvod non omnibus pristinis affulserint temporo-  
ribus. Sed nihil obest, si consideramus qvod Historiarum fides  
hac in parte laboret. Rudiora illa secula non floruisse tam ac-  
curatis Mathematicis, ex eruditissimo Vossi Tractatu de scien-  
tiis Mathematicis qvilibet colligit. Qvam inobservabilis fuerit  
cursus Martis sideris, exponit Plin. lib. 2. cap. 17. H. N. hodiè  
verò contumax illud sidus legibus demum certis obstrictum  
novimus. Accedit qvōd ne numerus qvidem majorum stella-  
rum vel propter temporum ignaviam, vel inutilitatem vel in-  
strumentorum penuriam atqve incuriam, uti Bartbol. de Stell.  
p. 153. ait, observatus: Nec ullus qvoqve præter Hipparchum  
& Tychonem eas numerare & accuratè observare aggressus est,  
idem inquit Bartbol. l.c. p. 32. usqve dum huic oneri gravissimo  
Atlantis instar suos demum humeros nuper supposuit Illustris  
Hevelius & stellarum loca improbo labore atqve felici successu  
indagare non cessavit.

§. XIX. Qvæ mentis nostræ sūr sententia diximus, reli-  
quum est, ut videamus, qvænam sint, quantâqve laborent dif-  
ficultate aliorum rationes, qvibus stelarum phases has explica-  
re satagunt. Primò omnium in duas abeunt sectas Autores, quo-

rum quidam negantes esse stellas, Cometas sublunares sine causa  
dā ex materiā elementari genitos sive per inflammationem si-  
ve per illuminationem fatentur: alii vero sensibus & ratione  
adducti stellas esse docent. Posteriores iterum commode in  
duo dispescimus genera, dum alii stellas planē novas, alii anti-  
qvis coævas credunt. Illorum iterum alii eas afferunt de novo  
factas per immediatam Dei creationem, alii hanc inficiantur &  
generationem statuunt. Qvi generationem agnoscunt caussam,  
nec unam etiam opinionem tuentur. Dantur qvi ex condensa-  
tione materiae coelestis, maximē autem illius, qvæ in via lacteâ,  
illarum ortum deducere laborant. Dantur, qvi subcoelestem  
materiam transferunt ad supra, generationis materiam ut sup-  
peditare queant: Dantur, qvi in stellarum aliarum exhalatio-  
nibus condensatis id, ex quo constituatur, querunt.

§. XIX. Hæ verò sententiae omnes fundamini superstru-  
ctæ sunt admodum lubrico, quo convulso aut etiam subruto ca-  
dunt omnes ac pereunt. Planē novas de novo ortas qvi sibi  
persuadent, non possunt qvin variis se intricent nodis qvos sol-  
vere ceu Gordium non aliter nisi gladio possunt. Qvod si au-  
tem earum ostensa fuerit æternitas, istis stabiliendis qvascun-  
que ferunt suppetias, omnes nullius erunt. Ordinarius motus  
ac constans earum ascensus ac descensus, quem tot infallibili-  
bus convictus observationibus nemo sanæ mentis inficiatur,  
non casualem qvandam sed naturalem ac ordinariam, qvæ po-  
sitis omnibus ad agendum requisitis quietem respuit, subinfert.  
Deum fortassis eas creare immediate qvi persuasus est, pensi-  
ret, an Deus etiam hodiecum corpora nova creet de novo (si  
strictiori sumatur significatu vox) qvod Theologi nostrates o-  
mnes negant ac pernegant. Pensiter quoque annon ad Caussam  
universalem præter necessitatem recurrere sit vanum? annon  
in natura patefacta ad Deum immediate referre sit præ inscitia  
librum à Deo apertum claudere, qvod nefas. Ad generatio-  
nem autem statuendam nulla tam apta potest singi materia in  
cælo

cœlo superstes, qvæ tantâ polleat luce intrinseca, nativa ac propria, ut scintillatione & fulgore suo reliqvas superare stellas queat omnes, qvod tamē in iis factum experientia s̄apie p̄obavit. Alias taceo difficultates.

§. XX. Antiquis coævas fatentur plurimi, nec tamen in phænomenorum caussis, his has, aliis alias afferentibus, concordant. Potiores earum si recenseamus ac dijudicemus, non iniquum est factum. Hic nobis se offerunt primi illi, qvi stellas antea parvas ac, qvando separatae sunt, invisibiles, se conjungere, fortior ut sic luminis vis unita perrumpere possit ad nos, persuadere aliis conantur. Ejusmodi stellarum cur non credamus concursum, vetat ordinarius earum, naturalis ac certo rediens tempore motus, quem casuallis ista conjunctio tollit. Veniat & idem locus, quem illæ, quoties in cœlo conspicuæ, semper obtinent. Vetat etiam cursus ille ordinarius omnium siderum, quo ceu cancellis ea inclusit atque circumscriptis Summum Numen, aliter ne incedant, qvi turbaretur. Telescopiorum hâc tempestate perfectissimorum vim, quam stellæ illæ effugere vix possent, lubentissime omitto.

§. XXI. Hos excipiunt, qvi opacum illis affingunt corpus tūm derum conspicuum, qvando Deus illuminet. Multis verò & hæc premitur sententia, dum θεόν μηχανῆς evocat. Post hæc non constat, ecquidnam obsit, cur à sole aliisque stellaris lucidis illuminatae, cum omne corpus opacum lucis reflectit radios incidentes, lumen id nōbis denegent. Forsan distansia enormis, quam nos asseruimus, luminis debilitat vires, oculos ne nostros feriant? Ast ea non multum nocet hic, qvum Saturnus quid qvod Comites saturnini ipso domino suo minorēs nobis se ostentent.

§. XXII. Phases has dum alii per earum ex altera parte incedarū ex altera obscurarum vertiginem salvare nituntur, fixis vertiginem, quam, qvum nec in omnibus detur Planetis, negamus, inducunt. Liberales licet simus & concedamus eam, nimis

nimirum tamen iste motus foret latus, vix aliquando aliquot annorum absolvendus spatio. Nec satis quoque explicat. Globum quippe talem si in quadrantes binas lucidas totidemque opacas distinctum, ac intra quatuor temporis certi partes aequali revolvi motu concipiamus, tum ad tres temporis sectiones datas yideremus lucidam, vix autem in quartâ lux absconderetur. Hæc si cum sphæricis stellarum corporibus confaramus, plus splendorent, quam sillerent, sequeretur; Quid cum ipsissimâ experientiâ pugnat. De opaco quoque corpore ad reflectendos à lucidis radios acceptos aptissimo quum paullò ante attulerimus quædam, cramben bis coctam neutiquam apponemus.


**S. XXIII.** Novam rursus alii comminiscuntur rationem, cuius auxilio freti se rem bene tetigisse confidunt. Nescio quæ & quæ finguunt impedimenta, quæ radios ad nos tendentes excipiunt, nunc verò, ne scilicet stellis aut nobis molesta sint nimis, ad tempus abeant ac redeuntia earum lucem iterum nobis invideant. Partes densiores nempe querunt quidam in via patentissima lacteâ, quidam in cœlo anastro, quidam denique in vaporibus interpositis, nullibi tamen locorum certo, nisi forsan in fängentium cerebello inveniunt. Unde est quæso, quod impedimenta hæc adeo statim temporibus, suo defungantur itinere, ut nunc abeant, nunc redeant. Ecquænam intelligentiarum assidet illis, quæ abducatur & reducat?

**S. XXIV.** Qui Cartesii in Princip. libr. 3. num. CXI. sectantur mentem, opinantur posse sidus aliquod tot ac tam densis involvi maculis, ut visum nostrum prouersus effugiat, & contra quod crassa macula contextum fuerat, ex improviso magna luce affulgere. Unde facile posse accidere, ut stellæ jam in cœlo appareant, quæ olim non apparuerunt, & vice versa, ut olim apparuerint, quæ nunc disperguntur. Quas controversias autem hic de Elementis Cartesianis, unde macularum origo, fovent Physici, nostras jam non facimus. Id tantum macularum Patronis opponimus, quod eæ non certis possint fieri temporibus, quod tamen in stellis sunt. Quæ in Sole ac Lunâ mutabiles videntur nonnunquam tubospicillo, hæc nunc hoc, nunc alio loco ac tempore, nullis servatis legibus, apparent.

T A N T U M

In Prefam. lin. 7. pro qui lege cui.






Aug VI 74 (7)



56.

VJ 17



8d.  
NOV. 2000



### Farbkarte #13

B.I.G. Black  
White  
3/Color

Red  
Magenta

Yellow  
Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches  
Centimetres

# RISIMILIA *De* **IS NOVIS,**

ANTE JEHOVA  
M CONDITORE,

*In*  
*d' Albin Academie*  
UTORIO MINORI,  
XII. DECEMBER.  
OR. POMERID.  
Æ DIONYS. M. DC. XCI.  
ndunt ac defendunt

PHORUS JACOBUS  
Gächtler /  
TIO - MISNICUS,  
entiss. Elect. Sax. Alumnus,

&  
EDUS GÜNZIUS,  
Haynensis - Misn.

VITEMBERGAE,  
ATHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

30